

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**De Potestate Imperatoris Ordinandi Regimen Bonorvm  
Eccl. Imp. Immedd.**

**Geisler, Carl Heinrich**

**Goettingae, 1783**

**§. II. Constitutio caussae**

**urn:nbn:de:bsz:31-95043**

lium imperiale aulicum plerisque de caussis contra Capitulum decreuerat, erant confessim, qui de libertate bonorum ecclesiasticorum clamarent, Augustumque summa cum omnium Capitulorum iniuria plus sibi sumere vociferarentur, quam ex legibus liceret. Quas voces cum latius spargi norim, ab his noui muneris initiis, quibus Deus faueat, non alienum arbitror, de potestate Imperatoris constituendi regimen bonorum ecclesiasticorum immediatorum nonnulla differere, si non omni forte vi sint destituta, quae in contrarium illi statuant. Quod quemadmodum verecunde fiet ac sine cuiusquam adpellatione, ita nec mihi inuidiae, neque offensioni aliis, quorum bene multos quam maximi facio, futurum esse confido, ratus nempe, hanc talem disputationem, si vel maxime nihil admodum noui aut exquisiti contineat, quod omnino ab hac tenuitate mea expectari non potest, hoc in primis tamen tempore non prorsus inanem videri posse.

## §. II.

### *Constitutio cauffae.*

Id igitur acturo quaerendum est, an, quatenus et quomodo Imperatori liceat definire modum regendorum et administrandorum bonorum ecclesiasticorum, quae, si ad imperium referuntur, immediata dici solent. Neque enim huc pertinent ea omnino omnia, quae in eiusmodi bonis primariis precibus, alimentis aliquique huius generis rebus decernendis potest, sed suscipitur sermo de bonis ecclesiarum ipsis, atque eo quidem sensu, quo legibus

bus imperii publicis \*) dicuntur, h. e. late de omni genere, quod ab ecclesiis habetur, adeo ut amplectatur quoque, quae ius canonicum strictim et compressè ecclesiastica vocat, h. e. quae religionibus proprie dicata sunt, ac fundum quasi et dominum ecclesiae constituunt. Id quod eo adcuratius admonendum videtur, quo maior pars futurae disputationis ab hac notione pendet, quoque saepius exinde hac in causa peccatur. Hinc enim multi eam maxime ingrediuntur viam, vt, quod soli iuris canonici auctoritati inhaerent, id saltem bonorum ecclesiasticorum genus, quod iure canonico vocatur, imperio ciuili subtrahere cupiant, nouique adeo in illa, quam indigtaui, controversia multos in primis hanc ob rationem moleste tulisse, quod quasi quodam iure suo Imperator sine discriminé omnem fundum episcopalem atteri vetuisset. Qui si redissent ad principia ciuilia, cogitassentque in primis, aliam esse ex iure canonico bonorum ecclesiasticorum notionem, aliam ex legibus, quae potissimum sequendae sunt, imperii publicis, legissentue, quae reuerendissimus olim BEHLENIVS \*\*) ex instituto, vt videtur, contra STRAVSSIVM \*\*\*) cuius quippe ex pharetra non caute satis excussa ut plurimum tela repetunt, de hac bonorum ecclesiasticorum adpellatione disputauit, facile intelligere poterant, non esse, quod Consiliarios Augustales iniuriae cuiusdam temere ad cussarent. Sed hanc ad rem paullo post redibo.

## A 2

## §. III.

\*) v. c. I. P. art. V. §. 14.

\*\*\*) ap. EVMD. loc. cit. To. I.

\*\*) ap. SCHMIDTIVM in Thes. p. 570. sqq.  
iur. eccl. To. VI. p. 122.